



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 15. Gallorum victoriæ in Normannia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Rex Navarræ urbem penuria frumenti, Sæcul. XV.
 ac commeatus laborare edoctus, cum A. C. 1449.
 copiis suis accurrit, opem laturus, jam-
 que eo penetraverat, ut secundo tantum
 lapide ab urbe distaret. Ast cum hosti-
 bus resistendo impar esset, suumque ge-
 nerum, qui plus Regi, quam sanguini
 deferebat, nec armis cogere, nec preci-
 bus ad solvendam obsidionem flectere
 posset, obsessi de conditionibus dedendæ
 urbis agere compulsi sunt. Igitur Fu-
 xensis Comes primum oppidum, paulo
 post arcem quoque suis armis subjecit,
 eodemque tempore Guisiam seu Guissan-
 tium castrum, quatuor leucis a Bajona
 distitum deditioe accepit, postquam
 oppugnantes non ita pridem tria Anglo-
 rum millia, quæ a Navarræ Rege, &
 Bajonæ Magistratu in auxilium missa fu-
 ere, trucidassent.

§. XV.

Gallorum Victoriæ in Normannia.

Nec minus prospero Marte in Perchi-
 ensi agro, atque Normannia dimi-
 carunt Galli. Ineunte enim Mense Au-
 gusto Vernolum, arcem Franciæ longe
 munitissimam occupabant, molitoris ope-
 ra usi, qui verbera, quibus ab Anglis li-
 beraliter excipiebatur, ulturus per pistri-

Q 4

num

Sæcul. XV num Gallos introduxit, tam secundo
 A. C. 1449 eventu, ut nonnisi turris fat quidem alta
 superiores progressus aliquamdiu remora-
 retur. Moliebatur equidem Talbotus
 urbem obsidione liberare; ubi vero Du-
 nensis Comes eidem imminebat, ipse
 proelii discrimen experiri veritus, in tu-
 tum sese recepit. Galli decrescentibus
 indies Anglorum viribus, adeo oppor-
 tuna occasione utendum rati, Pontem
 Audomari, oppidum S. Jacobi in Nor-
 mannia, Lexovium, Meduntam, Vernoni-
 um, plurimasque passim urbes et arces
 qua vi, qua arte, qua deditio occuparunt.
 Dunensis Comes tot victoriis au-
 ctus Regi indicabat, quod prompta æque
 ac facilis pateret via totam subjugandi
 Normanniam; cum hæc extremo terrore
 concussa lanqueret, necnon Gurnavium,
 Dangum in Vexino haud procul a Gi-
 forto situm, & Harcursum castra regis
 armis cessissent, ac præsidarii Deppæ
 milites Campo Fisci potiti essent, atque
 ab Alensonio Duce Essajensis arx occu-
 pata, ab Auguio autem & S. Pauli Co-
 mitibus urbs & arx Novum-castrum
 præter Abicursium, pluraque alia oppi-
 da subacta essent.

Dangou.
Gournai.

§. XVI.